

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Siena, Biblioteca Comunale (I-Sc)

L V 30, f. 119r-120v

Transcription : Christian Meyer

(juillet 2004 – rév. nov. 2017)

119r

<sup>1</sup> Nota quod septem sunt littere super quibus formantur voces artis, scilicet ·a·, ·b·, ·c·, ·d·, ·e·, ·f·, ·g·. <sup>2</sup> Unde dicitur musica a *moys* quod est aqua et *sicos* quod est ventus. <sup>3</sup> Omnis cantus qui incipit in ·G· cantatur per ·b· quadrum, et qui in ·C· per ·b· naturam, et qui in ·F· per ·b· molle. <sup>4</sup> Unde versus :

<sup>5</sup> ·C· naturam dat ·F· ·b· molle tibi signat.

<sup>6</sup> ·G· quoque ·b· durum prout tibi sit canitur.

<sup>7</sup> Nota quod tres sunt soni quibus totus cantus componitur, id est *ut, re, mi*. <sup>8</sup> Sunt autem alii tres soni superiores adiuncti propter necessitatem consonantiarum, quod ex pluribus vocibus debent componi, scilicet *fa, sol, la*, quae quidem per omnes sunt similites aliis tribus vocibus inferioribus, et ideo similes sunt sex, scilicet *ut, re, mi, fa, sol, la*. <sup>9</sup> Et sicut septem sunt littere ita septem sunt reformationes, quia ubi ponitur iste sonus *ut*, ibi dicitur esse reformatio | quia omnes alii soni sequuntur ab illo sono.

119v

<sup>10</sup> Nota quod sunt tres modi cantandi : ·b· <durum>, ·F· naturale et ·b· molle secundum quod in tribus litteris incipiunt reformationes, scilicet in ·G· et ·C·, et in ·F·. <sup>11</sup> Nota quod duplex est consonantia, simplex et composita. <sup>12</sup> Simplex ut *re mi, mi fa, fa sol*. <sup>13</sup> Consonantia composita est quae constat ex pluribus duobus mediis in duas tantum voces recurrentes : *ut mi, ut fa, ut sol, ut la*, et sic in depositione.

---

5 molle] nullum cod.

<sup>14</sup> Nota quod sunt septem consonantie quibus moderni utuntur, scilicet tonus, semitonus, etc.

<sup>15</sup> Due sunt species toni, scilicet maior et minor. <sup>16</sup> Minor *ut re*, maior *re mi*.

<sup>17</sup> Semitonus dicitur a *semi* quod est imperfectum.

<sup>18</sup> Dictoni due sunt species. <sup>19</sup> Dictonus maior *ut mi*, dictonus minor *mi sol*.

<sup>20</sup> Quatuor sunt dyatessaron, scilicet *ut fa, re sol, mi la*.

<sup>21</sup> Dyapente quatuor sunt *ut sol, re la, mi mi, fa fa*.

<sup>22</sup> Dyapason tot sunt species quot sunt lictere similes in manu, ut ·G· cum ·G·, ·A· cum ·a·, etc. <sup>23</sup> Nota quod modi cantus plene musice sunt duo, autenticus et plagalis. <sup>24</sup> Autenti possunt ascendere ultra finalem vocem duodecimam, plagales vero sub sua finali quintam.

<sup>25</sup> Propria consonantia autenti est quinta sive dyapente in ascensu a suo finali et plures suas notas ponere superius quod deorsum.

<sup>26</sup> Nota quod propria consonantia plagalis est dyatessaron remissum a suo finali et plures suas notas ponere in finali vel etiam supra in dyatessaron.

<sup>27</sup> Ficta musica est ponere tonum pro semitonio, et econverso.

<sup>28</sup> In ·Gama·*ut* et a ·b· nulla est mutatio, in ·C·*faut*, ·D·<*solre*>, ·E·<*lami*>, ·F·<*faut*> sunt due mutationes. <sup>29</sup> In ·G·*solreut*, ·a·*lamire* sunt sex mutationes. <sup>30</sup> In ·b·*fa-be-mi* non potest fieri mutatio quia ubi sunt duo signa ibi sunt duo contraria et ubi est *fa* et *mi* non est concordia ut experientia docet, et sic de aliis per ordinem que sequuntur.

<sup>31</sup> Octo sunt toni quatuor autentici et quatuor plagales. <sup>32</sup> Autentici primus, tertius, quartus, septimus. <sup>33</sup> Relique sunt plagales, quia primus est nobilior omnibus aliis habet potestatem circuire totam manum. <sup>34</sup> Alii autentici possunt ascendere octavam, nonam et decimam computando suo finali, et istud intelligatur de

120r

omnibus aliis autenticis.<sup>35</sup> Plagales vero ascendunt a suo finali <ad> quintam et sextam et septimam et octavam, sed raro | propter necessitatem, descendunt <ad> quartam <aut> quintam vocem.<sup>36</sup> Si quis cantus plagalem intencionem habuerit, plagalis est, <e>contra si quis cantus plagalis intentionem habuerit et postea autenticam elevationem habuerit, autenticus est.<sup>37</sup> Si quis cantus autenticas elevationes habuerit et postea in plagalis redierit, <in> depositione plagalis est et in autentica elevatione autenticus est, vocatur cantus commixtus.<sup>38</sup> Horum debemus atribui cui frequentior usus habentur.

<sup>39</sup> Plagi saliunt ad quintas et ad quartas descendunt.<sup>40</sup> Et autenti ad octavas competenter saliunt.<sup>41</sup> Subtus se uno tono sibi satisfaciunt.<sup>42</sup> Sed nota quod octavus tonus fertur dulcior cunctis ceteris modis, quia, ut figurate loquamur, a primo usque ad sextum labores huius vite significa<n>tur.<sup>43</sup> Cum autem venitur ad septimum, in quandam transitur theoricam et contemplativam vitam, se<d> quae adhuc carne gravatur.<sup>44</sup> Octava autem pars in omnibus perfecta est et transcendit labores et erumpnas nec iam dedita est lamentis nisi hiis qui amore supremo fuguntur.<sup>45</sup> Unde et difficile et ineptum est ex eodem tono fieri lamentabile carmen.



<sup>46</sup> Ecce modus primus      sic noscitur atque secundus.



<sup>47</sup> Tertius ac incipitur      sic quartus iste probatus.


---

**42-45** Ps.-GUIDO form. (p. 120) ; cf. Utrecht UB 406, f. 232v (éd. Zijlstra, *Tractatus*, p. 27)

**35** quintam vocem] licenter ? add. cod.

**37** vocatur] et vocatur cod.

**43** quae] quo cod.



⁴⁹ Septimus armoniam tenet hanc



octavus et istam.

120v

⁵⁰ Nota quod per hos quatuor versus supradictos potest omnis sive modus responsiorum et versuum cuiuslibet toni evidenter patefieri vel etiam cognosci. ⁵¹ Et notandum est quod omnis versus primi toni, vel tertii et quarti, quinti, sexti, septimi et octavi videtur esse alterius modi <sive> toni quam eorum responsoria, quod inconveniens esset si sic esset. ⁵² Sed dicendum est quod debent iudicari responsoria cum resumptionibus aliorum responsiorum, scilicet ut ibi terminetur cantus ubi resumptio responsorii terminatur. ⁵³ Et unde cuiuslibet cantatur versus cum sua resumptione. ⁵⁴ Similiter habetur frequenter in graduali generali quod R<esponsorium> est <unius> toni et versus eius toni plagalis. ⁵⁵ Sed unus est cantus responsorii cum suo versu et Alleluia cum suo versu. ⁵⁶ Explicant toni etc.

---

51-53 cf. Tonarius OP

⁴⁸ esse] ecce *cod.*

⁴⁹ tenet hanc] tenet tenet hac *cod.*

⁵²-⁵³ resumptio] resumtio *cod.* (*passim*)

⁵⁶ expliciunt] exliquent *cod.*